

narraverit, item prodigia defectionis solis, terraemotuum etc. quae in Christi morte dicuntur accidisse (Math. XXVII, 45, 51. Mar. XV, 33. Luc. XXIII, 34 seq.) aliaque similia. Ergo haec falsa et ab Evangelistis conficta sunt.

Resp. 1° Falsum est omnes profanos scriptores de factis citatis aliisque eventibus extraordinariis commemoratis in N. T. siluisse. Plura enim occurrunt in antiquis scriptoribus testimonia, quae ostendunt eventus illos paganis et Iudaeis ignotos non fuisse. Ex his testimoniis nonnulla illustriora recitabimus. — *Calcidius* philosophus Platonius in suo commentario in *Timaeum* Platonis scribit: « Est quoque sanctior et venerabilior historia quae perhibet, ortu stellae cuiusdam non morbos mortesque denunciatis, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conversationis rerumque mortalium gratiam: quam stellam quum nocturno itinere inspexissent Chaldaeorum profecto sapientes viri, et consideratione rerum caelestium valde exercitati, quaesisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa maiestate puerili veneratos esse et vota tanto Deo convenientia nuncupasse. » — *Phlegon* libertus Hadriani in hist. Olympiad. lib. XIII postquam Christum uti prophetam laudasset praesertim ob vaticinium evento confirmatum de excidio Hierosolymorum, diserite meminit prodigii tenebrarum, et terraemotuum qui in eius morte acciderunt. Haec sunt eius verba laudata ab Eusebio in *Chronico*, et ab Origene in lib. 2 contra *Celsum* n. 33 (Cfr. etiam *Fabricium Bibliotheca Graec.* tom. IV, c. XIII, n. 4): « Quarto autem anno, inquit, ducentesimae secundae Olympiadis magna et excellens inter omnes, quae ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ita ut stellae in coelo visae sint, terraeque motus in Bithynia Nicaeae urbis multas aedes subvertit. » — Porro annus hic quartus Olympiadis 202 coincidit cum anno decimo octavo Tiberii qui est annus Christi emortalis: eoque anno nulla naturalis eclipsis locum habuit, praeter prodigium tenebrarum, quas tenebras ideo mirabiles et singulares appellat *Phlegon*, quia non in novilunio sed in plenilunio sol defectit (1). — De

(1) Non est dissimulandum a multis recentioribus hoc testimonium excludi eo quod contendat Christum non anno 4° sed anno 1° 202^{ae} Olympiadis mortuum esse. Verum ex alia parte circumstantiae a *Phlegonte* memoratae tam bene quadrant in prodigia quae Christo moriente acciderunt, et doctissimi Patres *Origenes*, *Hieronymus*, *Julius africanus*, *Eusebius* tam confiden-

eodem facto iam primo saeculo mentionem fecerat *Thallus* in *Historia Syriaca* lib. III laudata ab Eusebio. — Romani idem prodigium observarunt, eiusque memoriam in archivis recensuerunt teste *Tertulliano* qui ita alloquitur Romanum magistratum (Apol. c. 1): « Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est... Eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis. » — *S. Lucianus Martyr* (apud *Ruffinum* hist. Eccles. lib. IX, 6) suos iudices confidenter alloquebatur hoc modo: « consulite annales vestros: invenietis Pilati temporibus dum pateretur Christus, media die fugatum solem et lucem interruptam. » — Denique quoad stragem innocentium notum est lepidum Augusti dictum quod refert *Macrobius Saturnalium* I. II, c. 4: « Cum audisset (Augustus) inter pueros quos in Syria (Syriae nomine Palaestinam solebant designare Romani) Herodes rex Iudaeorum infra bimatum iussit interfici filium quoque eius occisum (1), ait: *Melius est Herodis porcum esse quam filium* » alludens scilicet ad legem illam quae suillam carnem Iudaeis vetabat. Porro quamvis *Macrobius* quarto Ecclesiae saeculo haec scripserit, magna tamen est eius auctoritas, cum constet eum opus *Saturnalium* ex veterum scriptorum et documentorum fide composuisse. — Testimonia P. Pilati, *Celsi*, *Svetonii* et aliorum superius produximus. Hisce addere merito possumus eorum paganorum testimonia qui postea ad fidem conversi sunt, uti *Iustinus*, *Quadratus*, *Athenagoras*, *Aristides*, alique; nam viri erant eruditi et magni apud suos nominis; nimis autem iniquum esset eorum auctoritatem contemnere hac tantum de causa, quod rerum veritate compulsi Christo nomen dederint et pro earumdem rerum confessione mortem subierint; cum id potius apud aequum iudicem maxime augere debeat vim eorum testimonii. Itaque praeter *Iustinum* et *Tertullianum* alias laudatos praestat hic audire *Quadratum* in ea oratione quam pro Christianis *Aelio Hadriano* obtulit: « Servatoris nostri, inquit, opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent: ii scilicet qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur

ter hoc testimonium urgent ut non facile dimitendum sit ob meras chronologicas difficultates.

(1) Falsus hic erat rumor: nam licet verum sit Herodem filium suum Antipatrem occidisse, non tamen infantem occidit sed adultum, neque occasione stragis Bethlemiticae. Sed nobis substantia factorum sufficit.

conscripti sunt ab omnibus, sed sequito deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum ad nostra usque tempora pervenerint » (apud Euseb. H. E. l. IV, c. 3). — Concludamus igitur falsum esse primo quod adversarii asserunt neminem ex profanis scriptoribus mentionem fecisse de extraordinariis illis factis, quae ab Auctoribus N. T. narrantur. — Verum quoniam negare non possumus maximam coaevorum scriptorum partem facta haec silentio praeterisse.

Resp. 2° Nihil ex silentio profanorum scriptorum concludi posse adversus factorum veritatem. Et sane tunc tantum silentium scriptorum officit historicae factorum veritati cum constat eos scriptores et occasionem imo necessitatem habuisse ea commemorandi, et ex alia parte non habuisse motiva ad ea facta omittenda. Si haec duo non constant, et multo magis si contrarium demonstretur, silentium scriptorum nihil omnino probat. Porro ita est in casu nostro. Etenim vel ii scriptores occasionem nullam habuerunt commemorandi facta N. T., vel si ex illis aliqui habuerunt huiusmodi occasionem, ex gravibus tamen motivis silentium servare maluerunt. Et sane ex Iudaeis soli qui afferrī possunt sunt Iosephus Flavius, et Philo. Porro Iosephum de Christo et Apostolorum factis mentionem fecisse superius vidimus. Philo autem de his loqui non debuit: is enim potius philosophus est quam historicus ut vel ex titulis eius operum apparet: praeterea Philo in Palaestina non vixit, sed Alexandriae Aegypti, quare serius ad eum notitia illorum factorum pervenire debuit. Ad Graecos scriptores quod attinet qui primo et secundo Ecclesiae saeculo floruerunt hi omnes grammatici fuerunt, poetae, philosophi, mathematici, etc. duo tantum proprie historici erant, *Arrianus* et *Appianus*: verum ille gesta Alexandri magni narravit in quibus de factis Evangelicis sermo esse non poterat; hic autem in sua historia provinciarum Imperii Romani Iudaeam omisit: quare Christi gesta praeterire debuit. — Inter Romanos Tacitus, Suetonius, Plinius soli sunt qui de Christo et Christianis loqui potuissent. Verum ad Plinium quod attinet is honorifice de Christianis loquitur in sua epistola ad Traianum superius a nobis laudata. Tacitus autem et Suetonius Romae scribebant cum Christiana religio severissimis Imperatorum edictis prohibita fuisset, et ut felicitati Imperii contraria ab omnibus haberetur: quid

mirum si de ea obiter et cum contemptu loquantur? Suetonius tamen in vita Neronis Christianos ut magno incantatores tradidit. Denique omittendum non est magnam partem librorum, qui aetate Augusti et Tiberii scripti fuerunt, iniuria temporum intercidisse. — Et haec satis de silentio profanorum scriptorum.

II° *Obiectiones speciales.* — Ex pluribus obiectionibus specialibus, quae contra libros N. T. afferri solent, nonnullas speciminis gratia expendendas suscipimus ac de iis totidem distinctas theses constituimus. Initium autem ducemus a quaestione quae prima est in ordine chronologico historiae Evangelicae, et respicit descriptionem totius Orbis a Caesare Augusto imperatam, quae iuxta Lucam occasio fuit cur Christus Dominus in pago Bethlehem nasceretur. Sit itaque

THESIS XVI.

*Sanctus Lucas cum censum ab Augusto imperatum
et tempore Nativitatis Christi
in Iudaea peractum (Cap. II° 1-5) narrat,
falsitatis aut anachronismi insimulari nequit.*

I. Plures ex recentioribus Criticis heterodoxis, quos inter Strauss, Eichthal et Mommsen Lucam falsitatis accusant ob sequentem narrationem de censu in Palaestina peracto: « Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyprino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnanate (Luc. II, 1-5). » Qua in narratione adversarii plures errores deprehendunt. — 1° Ipsius facti *substantiam* negant. Sane, inquit, Augustus nullum imperavit censum anno Christi natali; siquidem nulla huius facti occurrit mentio apud Tacitum, Suetonium et Dionem Cassium qui res ab Augusto gestas diligenter persequuntur: hi quidem commemorant tres census ab Augusto perfectos, sed nullus ex iis in citatum annum incidit; primus enim locum habuit anno 23 ante aeram vulgarem, secundus anno 8 ante

aeram vulg., tertius denique anno 13 aerae vulgaris. Ipse Augustus in monumento Ancyrano de hoc censu silet (1). - 2° *Circumstantias* etiam locorum ac personarum falsas esse contendunt et facti ipsius falsitatem confirmare. Sane si census iuxta morem Romanorum confectus est, Ioseph non debuit Bethlehem se conferre, nam id ad censum perficiendum lex non praecipiebat: vel si id praecceptum fuisset, numquam ad locum ubi David ortum habuerat pergere coactus fuisset, sed tantum ad locum suum natalem. Addunt etiam Mariam nequaquam adigi potuisse Bethlehem proficisci iam praesertim partui proximam. Denique impossibile est *praesidem Syriae* in Iudaea, ubi Herodes regnabat, potuisse descriptionem seu censum agere. - 3° Erroneo esse dicunt circa *epochas* factorum. Nam ex Iosepho Flavio Antiq. XVII, 13, 5, XVIII, 1 scimus hunc Cyrinum (idest *Quirinium*) nonnisi post exilium Archelai, seu pluribus annis post Christum natum praefecturam Syriae suscepisse: non ergo erat Praeses cum Christus nasceretur: quinam autem tunc praesideret Syriae ex profanis historicis discimus, qui nominant P. Quintilium Varum. Lucas autem confundens tempora descriptionem post Archelai discessum factam transtulit in annum Christi natalem. - Quare narratio Lucae multis de causis falsa est. Inde autem sequitur falsum esse etiam Christum in Bethlehem natum fuisse; hoc enim alterum ex priori facto omnino pendet.

H. Hisce tamen non obstantibus verissimam esse contendimus Evangelistae narrationem.

Imprimis enim ad substantiam facti quod pertinet absonum est dicere Lucam in re tam gravi et notoria vel errare potuisse vel mentiri: constat siquidem illum et natione Syrum, et coevum fuisse, et imprimis accuratum ac diligentem cum de rebus politicis mentionem aliquam ingerit. Praeterea impossibile est Lucam tertium Augusti censum de quo loquuntur Iosephus et Svetonius hoc anno collocasse. Iste enim census Lucae bene notus erat, eiusque epocham probe noverat, ut apparet ex Act. V, 36, 37 ubi de eo loquens eum antonomastice appellat *censum*, seu *professionem* (ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς), eiusque epocham assignat aetate Iudae Galilaei, qui exinde occasionem sumpsit rumores et turbas

(1) Ita inter ceteros Mommsen qui Lucae testimonium rejicit ex eo potissimum quod *solitarium* sit V. Theod. Mommsen: *Res gestae D. Augusti ex monumentis Ancyrano et Apolloniensi*. Berolini 1865 p. 122, 125.

excitandi. Quomodo ergo fieri potuit ut in Evangelio idem factum tot ante annis collocaret? Quare etiam si solus Lucas hoc factum attestaretur, fides ei esset adhibenda.

Verum non est solus Lucas qui de laudato Augusti censu loquatur. Sane scriptores Ecclesiastici secundi saeculi et sequentium, ad censum illum confidenter appellant cum pagani loquentes, et ad publica archivia et authentica documenta provocant. - Ita *Iustinus M.* in Dialogo n. 78: « Sed cum census, inquit, in Iudaea tunc primum haberetur sub Cyrenio (1); ex oppido Nazareth in quo degebat, Bethlehem, unde erat oriundus, profectus est (Ioseph) ut censeretur. Nam ex tribu hanc terram incolente genus ducebat: » et paulo post Tertullianus in lib. IV adv. Marcion. cap. 7. ait: « De censu denique Augusti, quem *testem fidelissimum Dominicae Nativitatis Romana archivia custodiunt.* » Et in cap. 19: « Sed et census, inquit, constat actos sub Augusto tunc in Iudaea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent. » Eadem postea repetit Chrysostomus in comment. in hunc locum. « Ex his liquet primae descriptionis tempore natum esse Christum. Et cui veteres historiarum codices, qui Romae publice asservantur, lectitare libeat, perfacile poterit etiam tempus huius descriptionis discere. » Denique omissis testimoniis Orosii (hist. VI, 22) Isidori Hispalensis (Orig. V, 3) Cassiodori (Variar. epistol. III, 52), idem testatur Suidas in Lexico ad vocem: Ἀπογραφή: ubi scribit Caesarem Augustum selectis viginti notae probitatis viris, eos in omnes regiones sibi subjectas misisse ut personas et substantias omnium describerent ad tributum publico aeryario addicendum. Quare factum tam publicum et tot testibus confirmatum immerito prorsus in dubium vocaretur.

Neque vero rationes ab adversariis adductae facti huius veritatem infirmant. - Sane 1° silentium Taciti, Svetonii et aliorum ab adversariis obiectum, imprimis utpote negativum argumentum non valet

(1) Latinus Iustini interpres posuit *Cyrenium* sicut Vulgata latina Luc. II, 2 *Cyrium*, servata scilicet graeca forma Κυρηνος. Sed nomen hoc latinum est et est P. Sulpicius *Quirinius*, ut apparet ex Actis fratrum Arvalium et ex Calendario Praenest. prid. Non. Mart. et IV Kal. Mai. (apud Fogginium Pastor. anni Rom.). Graeci vero ob litterarum diversitatem et defectum scribebant Κυρηνος, sicut etiam *Quirinum* et *Quirites* dicebant Κυρηνος et Κυρηταις et *Quintilium Κοιντλιον* etc. ut in antiquis inscriptionibus videre est.

Lucae et aliorum positivum testimonium elidere. Deinde difficile non est rationem eiusdem silentii reddere. Sane Tacitus occasionem non habuit de hac re loquendi cum in suis annalibus de Augusto ex professo non loquatur sed obiter tantum, et ad viam sternendam subsequenti historiae, quae proprie cum regno Tiberii incipit. Suetonius autem potius biographum quam historicum agit, et non tam singula Caesarum gesta accurate narrare sollicitus est quam singulorum indolem ac ingenium fideliter exprimere. Dionis Cassii historia Romana, in qua nostri census mentio expectanda erat, in hac parte mutila est: liber enim LV qui complectitur periodum annorum 743-761 U. C. quo tempore laudatus census locum habuit nonnisi abbreviatus et cum pluribus lacunis ad nos pervenit. Augustus autem licet in inscriptione monumenti Ancyranum laudatum censum omittat, forte quia aliud non fuit nisi praeparatio ad censum bonorum postea peractum, de eo tamen satis clare mentionem fecit in *Breviario*, seu *Rationario Imperii*, ubi accurate recensuit « *quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa, aut vectigalia imperio Romano essent* » (Tacitus *Annal.* I, 41) (1). Apud Tacitum etiam et Suetonium nonnulli huius descriptionis vestigia inveniri putant vel cum mox relatam copiarum Imperii descriptionem memoranti, quae sine aliqua *personarum generali descriptione* (πρωτογεννη) vix fieri potuisset, vel cum alterum Augusti censum anno octavo ante aeram vulgarem referant. Fortasse enim hic unus idemque est cum illo a Luca commemorato, quin obstat epochae diversitas: sane in primis notum est initium aerae vulgaris non incidere in annum Christi natalem, sed eo quatuor saltem annis posterius esse: quare Christus anno IV vel V ante aeram vulgarem natus est, tribus tantum annis post praefatum Augusti censum. Nihil autem prohibet quin supponamus censum illum uno vel altero anno compleri non potuisse ob ipsam rei difficultatem, et in Palaestina non nisi post tres annos executioni mandatum fuisse. Quo posito Lucas de eodem censu loqueretur, de quo Suetonius alique, cuius quidem *edictum exiit* (Luc. II, 4) tribus ante Christum annis, seu VIII ante aeram vulga-

(1) De hoc *rationario Imperii* Augusti manu conscripto mentionem faciunt etiam Suetonius in Octavio § 28, et 101, et Dio Cassius hist. I. LV, 33 coll. LIII, 30.

rem, perfectus autem est in Iudaea a praeside Cyrino (ib. v. 2) ipso anno Christi natali.

2° Ad circumstantias vero quod attinet ea omnia quae ab adversariis obiciuntur nullum in Lucae narratione errorem ostendere valent. Iuxta leges Romanas, inquit, non debuisset Ioseph ad locum originis prolificisci. Adversarii non attendunt aliam fuisse rationem census *bonorum*, aliam census *personarum*. Ubi de bonis agebatur census fiebat in loco ubi bona aderant (Digest. Lib. L, Tit. XV, §. 4, n. 2), ubi vero de personis, singuli ad locum originis pergere debebant. Et licet verum sit (ut hic P. Patrizi opportunè animadvertit) per locum originis iuxta morem Romanorum patriam uniuscuiusque seu nativitatis locum esse intelligendum, tamen cum de Iudaeis ageretur iuxta Hebraeorum legem recensio seu professio fieri potuit ita ut Ioseph non in urbe Nazareth, ubi forte natus erat, sed Bethlehemi, ubi David eius familiae auctor ortus fuerat (Luc. II, 4) profiteri debuisset. Verum curnam Maria Ioseph comitari in itinere Bethlehemitico adacta est, quod certe Romana lege cautum non erat? — Respondemus Lucam non dicere Mariam lege coactam fuisse ad illud iter suscipiendum; potuit igitur sponte sua, ne a sancto coniuge divideretur, iter illud suscipere; potuit etiam speciali Dei instinctu id facere cum in consiliis divinae providentiae decretum esset Iesum in Bethlehem nasci oportere. Denique certum non est feminas in Romanorum censibus praetermissas fuisse; nam contrarium, saltem pro quibusdam casibus, colligi videtur ex Tito Livio (Decade III, c. 3) et ex eius breviatore (apud Graevium *Thesaur. antiq. Roman.* tom. I, col. 34). Ad ultimam vero difficultatem, quod scilicet Syriae praeses non potuisset in regno Herodis, ubi erat Bethlehem, ius dicere, respondemus id speciali Caesaris iussu factum esse ut ex infra dicendis melius apparebit: Caesarem autem in Herodis ditione auctoritatem exercere potuisse alias dictum est; erat enim Herodes in multis a Caesare dependens, eius regnum iam sub Pompeio Romanis tributarium factum fuerat, idem autem Herodes hisee omnibus tanto libentius consentiebat, quo magis de amittendo regno suspicionem ac timorem animo conceperat, et cum in amore subditorum confidere nec posset nec vellet, Caesaris gratiam omnibus modis conservare studebat.

3° Gravior nunc quaestio solvenda restat de praeside Cyrino

seu Quirinio qui censum perfecisse dicitur: hunc enim non anno Christi natali sed pluribus post annis Syriae Proprætores fuisse adversarii contendunt, et adductis historiae documentis probant.

Huic difficultati duplex dari solet responsio. — Responsio 1^a est graeca verba textus paulo aliter reddi posse ac in Vulgata latina redduntur. Graecus textus ita habet: *ἄντη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηναίου*: quae redduntur a Vulgata: *Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino*. Iamvero observant nonnulli vocem illam *πρώτη* posse commode accipi pro comparativo *πρωτερα*, particulam autem *a* in textu non haberi, ita ut sensus sit: « Haec descriptio fuit prior praeside Syriae Cyrino, seu, priusquam Cyrinus Syriae praesesset »: quae versio si admittatur evanescit difficultas; tunc enim Lucas non solum non confunderet epocham Quirini cum epocha census a se narrati, sed expresse distingueret. — Quod autem Graecus textus ita reddi possit variis exemplis tum sacrorum tum profanorum scriptorum confirmant; ita ex. gr. ex sacris litteris Io. I, 43 ubi Iohannes Bapt. de Christo loquens ait: « Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat » in textu habetur non *πρωτερος* sed *πρωτος*: « ὅτι πρωτος μου ἦν »; simile exemplum recurrit in v. 30 eiusdem capituli, et cap. XV, v. 18: ex profanis autem sufficiat citare exemplum ex Aeliano (hist. animal. lib. VIII, cap. 12) « οἱ πρωτοι μου ταυτα ἀνιχνευσαντες, qui ante me haec investigarunt. » Alia etiam exempla affert Henr. Stephanus in thesauro linguae Graecae ad vocem *πρωτος*. — Quare iuxta grammaticas leges verba Evangelistae praefatum sensum habere possunt. Nec deesset ratio cur Lucas hanc animadversionem fecisset, nempe ad confusionem illam vitandam, de qua postea a rationalistis accusatus fuit; descriptio enim quae postea sub praeside Quirinio facta est, longe celebrior evaserat, eiusque exosa memoria adhuc vivida in animis Hebraeorum haerebat cum ipse Evangelium scriberet, secus ac prioris illius descriptionis quae anno Nativitatis Christi accidit: facile ergo fieri potuisset ut lectores audientes descriptionem ab Augusto imperatam de altera descriptione cogitarent atque ita errarent circa epocham qua Christus natus est.

Haec responsio licet tuto defendi possit, multis tamen nimis ingeniosa, et minus obvia videtur. Hi itaque

Resp. 2^a Accepta obvia lectione textus et Vulgatae Latinae, ut

nempe descriptio facta dicatur a Quirinio praeside, vel sub eius praesidentia, adhuc potest Lucas cum Tacito, Iosepho alisque auctoribus conciliari, si nempe ponamus duplicem Quirini adventum, duplicemque ab eo ibidem gestam magistraturam; primo scilicet adhuc praeside Syriae Quintilio Varo, vel, ut alii volunt, Sentio Saturnino, cum tamquam legatus extraordinarius a Caesare missus est iste Quirinius ad difficile opus descriptionis perficiendum; rursus autem post tresdecim et amplius annos cum tamquam praeses ordinarius in Syriam et Palaestinam missus est post pulsum in exilium Archelaum, cum tota illa regio in provinciam Romanam redacta est. Neque officit huic explicationi sive appellatio Praesidis, quae legato extraordinario convenire non videtur, sive mos aut lex aliqua Romanorum. Siquidem pro voce *praeses* quae in Vulgata habetur, magis lata appellatio occurrit in graeco textu ubi legitur *ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηναίου*: vox enim illa *ἡγεμονεύοντος*; de qualibet potestate sive ordinaria sive extraordinaria accipi potest quemadmodum ex. gr. ab eodem Luca Act. XXIV usurpatur de Felice qui solum procurator erat: ita ut commode intelligi posset eodem tempore Quintilium Varum fuisse ordinarium Syriae praesidem (*ἡγεμόνα*), Quirinium vero extraordinaria potestate directorem (*ἡγεμονεύοντα*) exiitisse operis descriptionis tum in Syria proprie dicta tum in finitima regione Palaestinae (1). Nihil autem magis cum Romanorum consuetudine conveniebat quam praedicta Quirini missio: ita enim et in similibus casibus factum fuisse scimus ut ex. gr. in censu Galliarum, ad quem perficiendum Tiberius misit legatos Vitellium et Cantium (Tacitus Annal. II, 6), quamquam ibi non deesset ordinarius Galliarum praeses. Quirinio autem additus fuisset Cn. Sentius Saturninus, quia duobus viris solebant haec negotia committi: atque ita etiam conciliaretur Lucas cum Tertulliano, qui in loco sup. cit. per Sentium Saturninum illam factam dicit. Nec deest ratio quae suadeat cur Quirinio potius quam alteri tam difficile simul et honorificum munus commissum fuerit: nempe is vir consularis, et ob victoriam super

(1) Palaestina iam antea a Pompeio addicta fuerat Praefecturae (ἡγεμονία) Syriae, ut inter caeteros docet Iosephus Flavius Antiq. XIV, 4, 5; nec ab Augusto autonoma prorsus facta est cum illi Herodem dedit regem: quamvis opportune cavisset ne Procuratores seu Proprætores Syriae sine consensu Herodis quidquam in eius ditone perficerent (V. Iosephum ibid. XV, 10, 8).

Homonadenses recenter relatam (Tacitus Annal. III, 48) illustris in Oriente tunc versabatur; nihil igitur magis obvium erat Augusto, quam ad eum scribere ut paulisper in Syriam et Palaestinam diverteret, et descriptionem ibidem faciendam curaret.

Resp. 3^o Cl. P. Patrizi qui in opere *de Evangelii* praecedentem responsonem plus minus adoptaverat, in recentissimo opusculo quod in lucem edidit de hac quaestione aliam viam iniiit ductus praesertim rationibus quas Clar. I. B. De Rossi secum communicasse dicit. Itaque iuxta laudatum Auctorem Quirinius anno Christi natali (seu DCCXLVII U. C.) fuisset Syriae Praeses non extraordinarius sed *ordinarius*, idest Propraetor, atque ita bis Syriae Propraetor fuisset, semel anno Christi natali, et iterum post exilium Archelai. De hac duplci Quirini Propraetura vestigium reperiri putant idem Patrizi cum aliis in vetusta quadam inscriptione in agro Tiburtino reperta an. 1764, et in Museo Lateranensi asservata, ubi, licet nomen viri cui dedicata est non legatur (est enim mutila), sermo tamen est de quodam illustri viro cui tribuantur *supplicationes binae, ornamenta triumphi, Asiae Proconsulatus, et duplex Propraetura* in Syria et Phoenicia utraque sub regno Augusti: quae omnia simul dicunt in neminem alium convenire posse nisi in Quirinum nostrum. Igitur iuxta Cl. Patrizi descriptio seu census Palaestinae de quo loquitur Lucas II, 2 actus fuisset durante prima Propraetura Quirini: Sentius autem Saturninus non fuisset praeses Syriae ordinarius, sed unus ex illis viginti extraordinariis legatis quos ab Augusto destinatos fuisse ad censum perficiendum Suidas tradit in loco sup. cit. Is autem Saturninus fuerat Quirini antecessor in regimine Syriae, expleta tamen magistratura in Syria manserat, et graviora provinciae negotia per aliquod tempus administrare pergebat, Quirinio novo Propraetore in bellica expeditione deputatus est ad censum in Syria et Palaestina agendum, qui ideo dici potuit actus *per Sentium Saturninum*, uti habet Tertullianus, sed *praeside Syriae Quirino*, ut habet Lucas. Ad Quintilium Varum quod attinet, is, iuxta Patrizi, post Quirinum Syriae administrationem suscepit sequenti anno DCCXLVIII. Nec obstat quod Iosephus Flavius (Antiq. XVII, 5, 2) dicat Quintilium Varum Saturnino successisse. Cum enim, ut superius diximus, iste Saturninus post expletum tempus Propraeturae continuasset provinciae negotia tractare, et Quiri-

nus eius successor brevi admodum tempore (vix uno anno) Syriam administrasset, et interim externis bellis gerendis potius quam civili provinciae regimini operam dedisset, facile potuit existimare Iosephus toto hoc tempore Saturninum suam magistraturam retinuisse.

Haec satis sint de Augusti censu a Luca narrato (1).

THESIS XVII.

Matthaeus et Lucas in narrandis factis ad Christi infantiam pertinentibus sibi invicem non contradicunt.

De Christi nativitate et infantia Matthaeus tantum et Lucas aliqua narrant, ita tamen ut inter se convenire non videantur: unde difficilis oritur quaestio cum adversariis de accurata illarum narrationum veritate.

Ut autem quaestio facilius intelligatur operae pretium duximus factorum summam ac seriem iuxta utrumque Evangelistam sub oculis ponere in sequenti schemate.

Matthaeus II.

Lucas II.

Christus nascitur (v. 1). — Ecce Magi veniunt ad eum adorandum (ib.). — His discedentibus ecce Angelus monet in somnis Ioseph, isque cum puero et matre fugiunt in Aegyptum (v. 13). — Mox strages Innocentium (v. 16 seq.). — Mortuo deinde Herode sacra familia ex Aegypto redit (v. 22). — Et Nazareth sedem figunt (v. 23).

Christus nascitur (v. 7). — Mox a pastoribus adoratur (v. 8). — Post diem octavum circumciditur (v. 21). — Post diem quadragessimum Purificatio Mariae in templo et pueri oblatio (v. 22 et seq.). — Hisce perfectis, Nazareth revertuntur (v. 39). — El puer crescebat et confortabatur etc. (vers. 40).

(1) Plura de hac quaestione invenies apud Noris *De cenotaph. Pisan.* Dissert. II, c. 16, apud Sanclementi: *De vulgaris aerae emendat.* I. IV, c. 3. 4 et praesertim apud laudatum Patrizi tum in lib. III *de Evangelii* Dissert. XVIII tum in egregio opusculo sup. cit. cui titulus est: *Della descrizione universale mentovata da S. Luca, e dell'anno in cui venne eseguita nella Giudea.* Roma 1876.

Ex praecedenti factorum expositione duplex oritur difficultas. - 1° Ex silentio Lucae circa Magorum adventum, fugam in Aegyptum et infantium caedem. Quae difficultas, inquirunt adversarii, ex eo gravior fit quod Lucas ex una parte aliorum minus accuratas narrationes emendare volebat (Lucae I, 1, 3), ex alia vero parte historiam Christi infantis specialiter et ex professo, ut aiunt, narrare sibi proposuerat. - 2° Non solum autem unus Evangelista tacet quae ab alio narrantur, sed ea narrat quae alterius historiae contradicunt, eamque excludunt. Sane si post Magorum discessum statim secuta est fuga in Aegyptum, ut refert Matthaeus, nullus relinquatur locus purificationi et praesentationi in templo Jerusalem a Luca narratae; similiter si expleta caeremonia praesentationis, statim secutus est adventus Nazareth, et stabilis ibidem commoratio, ut est apud Lucam, excluditur omnino fuga in Aegyptum, quam describit Matthaeus.

Utrique difficultati satisfaciemus, ita tamen ut breviter primam expediamus, in altera vero quae multo implicatior est praecipue immoremur.

1° Respondemus itaque ad primam difficultatem ex silentio S. Lucae; aliud esse omittere aliquod factum, aliud negare. Multa siquidem alia etiam magni momenti facta Evangelistae omiserunt; imprimis Iohannes qui nec Christi infantiam, nec privatam vitam ullatenus tangit, nec maximam partem prodigiorum, quae a Matthaeo narrata fuerant, nec ipsam SS. Eucharistiae institutionem, quam reliqui Evangelistae diligenter referunt. Nulla vero erat ratio, quae Lucam cogeret ad facta illa ab adversariis laudata describenda. Quod enim initio Evangelii aliarum narrationes de Christi gestis tacite reprehendit, hoc nullo modo ad praecedentes Evangelistas Matthaeum et Marcum referri potest, sed ad eos tantum, qui absque divino impulsu historiae Christi conscribendae operam dederant, ut expresse docent et probant Origenes, Eusebius, Ambrosius alique veteres Ecclesiae Scriptores. Origenes hom. I in Lucam explicans prima verba Lucae: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem* etc. « Hoc, inquit, quod ait: *conati sunt*, latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus Sancti ad scribenda Evangelia prosilierunt, Matthaeus quippe, et Marcus et Iohannes et Lucas non sunt *conati scribere*, sed Spiritu Sancto pleni *scripserunt* Evangelia. » Eadem habet Eusebius in Hist. Ec-

cles. III, 23. Ambrosius autem Comment. in Luc. I, 1: « Multi conati sunt, inquit, sed Dei gratia destituti sunt.... non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus.... sed Divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine coepta complerunt; » ita etiam alii Patres, et interpretes loquuntur.

Nec plus valet illud quod adversarii obieciunt, Lucam de Christi infantia accurate loqui voluisse. Hoc enim verum quidem est, sed minime probat, eum omnes et singulas circumstantias referre debuisse: quin imo cum vellet ea manifestare, quae minus nota erant, et ab aliis ommissa, quaeque ipse a B. Maria Virgine, ut Patres docent, acceperat, quaedam vicissim brevitatis causa omittenda duxit, quae iam ab aliis Evangelistis narrata fuerant, et toti mundo nota erant. Accedit tandem facta illa a Luca ommissa, non Matthaei tantum testimonio inniti, sed profanorum etiam Scriptorum, ut supra vidimus: quapropter certissima etiam apud adversarios esse debent.

Respondemus ad II. difficultatem: seriem factorum apud Matthaeum et Lucam optime componi posse. Ut autem id melius intelligatur animadvertimus totam quaestionem revocari posse ad tempus in quo purificatio fieri poterit in citata factorum serie. Porro hac in re tres diversae hypotheses, seu explicationes in medium adductae sunt, quas modo singillatim expendemus.

HYPOTHESIS PRIMA

Purificatio ponitur post reditum ex Aegypto.

Haec quidem hypothesis difficultatem truncaret: tunc enim Lucas locum relinqueret omnibus illis quae a Matthaeo narrantur, quibus expletis factum illud purificationis ac praesentationis accidisset, et hoc peracto, Christus puer Nazareth reversus, ibique commoratus fuisset.

Verum ex alia parte opinio ista inverosimilis prorsus apparet. Nam

1° Incredible est Mariam post plurimum annorum spatium voluisse purificationi se subicere, et puerum in templo sistere; praesertim cum neuter legibus illis (Lev. XII, 2-8. Ex. XIII, 2, 12 seqq. Num. VIII, 16) teneretur, ut patet (1).

(1) Leges duae erant in citatis locis propositae, una scilicet ad matrem, Vol. I Introductio Critica. 21

2° Contraria videtur verbis Lucae v. 22: « *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi* » quae videntur indicare caeremoniam illam statuto tempore peractam esse, scilicet die quadragesimo vel sequenti (Lev. XII), quemadmodum supra dixerat circumcisionem legali tempore seu die VIII factam fuisse; accedit quod in v. 28 de Iesu infante agitur, non autem de grandisculo puero, qualis fuit post reditum ex Aegypto.

3° Nec omittenda est ratio quae desumitur ex praxi Ecclesiae celebrandi festum Purificationis die quadragesimo post festum Nativitatis Domini, seu die 2 Februarii; quamvis enim Ecclesia non semper observare soleat epochas in celebratione festorum, in hoc tamen casu videtur omnino sequutam esse indicium a Luca exhibitum diei quadragesimi, quemadmodum et festum Circumcisionis celebrat die octavo iuxta eundem Evangelistam.

Quare praefata hypothesis communiter reicitur: et aliae duae proferri solent, in quibus purificatio et praesentatio die quadragesimo collocantur, sed diverso modo in ordine ad reliqua facta. Itaque duas hasce hypotheses hic proponemus, rationes hinc inde proferentes, quae singulis vel suffragantur vel obstant, ut iudicet unusquisque ultra sit preferenda.

HYPOTHESIS SECUNDA

In hac hypothesis *Purificatio* ponitur *inter adventum Magorum et fugam in Aegyptum*, ita: Nativitas et adoratio pastorum (Luc. II, 7-18). — Circumcisio die octavo (Luc. II, 21). — Adventus Magorum, puta die 13 (Math. II, 1). — Is absentibus Purificatio et Praesentatio

alia ad filium pertinens. Mater praecipiebatur a sacerdotibus abstinere tamquam immunda, idque diebus quadraginta si masculum peperisset, octoginta vero si feminam, quo tempore expleto ad templum accedere debebat et facta oblatione purificari (Lev. XII). Ad filios autem quod pertinet lex erat qua omnes masculi primogeniti debebant Deo offerri in memoriam primogenitorum Aegyptiorum, quos Deus occidit ad populum liberandum; verum infantes sic oblato statim redimebantur a parentibus pretio quinque siclorum argenti (Ex. XIII, 15, XXXIV, 20). Ratione immaculati et virginei partus Beatae Mariae Virgo nulla purificatione indigebat; Christus autem, praeterquamquod supra legem esset, non comprehendebatur lege illa eo quod, licet esset primogenitus, tamen non aperuisset vulvam, quo in casu tantum lex praecipiebatur offerri infantem (Loc. cit.).

tio in templo die quadragesimo (Luc. II, 22). — Post purificationem fuga in Aegyptum (Math. II, 18). — Strages innocentium (ib. 10). — Reditus ex Aegypto (Math. II, 21). — Adventus Nazareth et commoratio ibidem (ib. 23).

Itaque in hac hypothesis Purificatio collocatur post adventum Magorum, et ante fugam in Aegyptum, et sic utriusque Evangelistae narrationes simul componuntur.

Verum multa sunt quae huic explicationi obstandae videntur. Itaque

Obiicies 1° Math. II, 13: « *Qui (Magi) cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens surge etc. Qui consurgens accepit puerum, et matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum.* » Ergo post discessum Magorum non fuit tempus Purificationis, quia statim facta est fuga in Aegyptum.

Resp. Illa vox *ecce* apud S. Scriptores non semper denotat immediatam unius rei post alteram consequentem, sed plerumque latius accipienda est, immo proprie loquendo tempus nullum designat, sed est particula emphatica. Ita ex. gr. initio huius capituli: *Cum natus esset Iesus etc. ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam etc.*, quum certe non venerint eadem nocte Nativitatis. Itaque inter discessum magorum, et Angeli apparitionem quidam dies intercessissent, quo tempore purificatio peracta est.

Instant. Dato etiam quod non statim sequuta fuerit apparitio Angeli, et fuga in Aegyptum, incredibile tamen est Mariam voluisse puerum in urbem regiam inducere, cum iam Herodes eius perendi consilium suscepisset.

Resp. Obiectio duo supponit quae adversarii ostendere non possunt. Scilicet 1° obiectio supponit Herodem statim post discessum magorum edictum dedisse de occidendis pueris. Iamvero id demonstrari nequit, immo nec verosimile est. Et 1° quidem quia Herodes expectabat reditum magorum (vv. 7, 8, coll. v. 16) proindeque non nisi post aliquod tempus comperit se fuisse *illum* (v. 16); neque eius politica agendi ratio, aut universalis erga omnes diffidentia, qua tunc laborabat, permisit ut aliquem ministrum cum Magis mitteret ad totam rem investigandam. 2° Possumus non inepte supponere Herodem fuisse compulsus illis diebus ab urbe discedere vel ob causas *politicas*, vel causa *sanitatis*. Quoad primum narrat Iosephus Fl. gravissimas turbas in id temporis incidisse, ut

seditionem 6000 Pharisaeorum (Antiq. XVII, 2), iudicium contra Antipatrum Herodis filium, cui ipse pater una cum Praeside Syriae praefuit (ib. c. V, et de B. Iud. I, 31, 32), discordias, et machinationes ex parte ipsius propinquorum, et familiarium: sunt etiam qui supponunt in hoc tempus incidisse iter Herodis Romam cum duobus filiis Aristobulo et Alexandro, ut eos apud Caesarem accusaret, sed hoc iter non videtur ad hos dies referendum. Quoad alterum narrat Iosephus hunc principem postremis vitae suae annis morbo atrabiliari correptum medicorum consilio compulsus fuisse frequenter ab urbe discedere ad puriorem aerem captandum, vel ad aquas thermales experiendas, idque etiam paucis ante mortem diebus fecisse (ib. c. VI). Itaque decretum non statim editum est ab Herode. At etiamsi supponere vellemus eum statim rem animadvertisse, et de caede Bethleemica cogitasse, dicendum esset non statim edictum promulgatum, et *exequutioni* mandatum fuisse, puta ob immensum populi-concursum in eas regiones causa census, ne tantae crudelitatis spectaculum multitudini obiceretur. - Dilationem decreti probat etiam contextus narrationis. Siquidem ex Matth. II, 13, coll. 16 manifestum est, Angelum apparuisse Iosepho et de fuga illum monuisse antequam Herodes caedem Bethleemicam imperasset. Prius enim narratur Angeli apparitio v. 13, et postea v. 16 Herodes dicitur animadvertisse se illusum a Magis, etc. et Angelus de periculo futuro, non de praesenti loquitur: « *Futurum est enim*, ait, *ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.* » Cf. Augustinum L. II, de Consensu Evang. c. XI.

2° Dato etiam et non concessio edictum statim ab Herode latum fuisse, adversarii supponunt Mariam idem decretum bene cognovisse, ac proinde non potuisse absque temeritate puerum in urbem ac templum inducere; hoc tamen probare nequeunt. Sane potuit Maria decretum illud ignorare, Deo sic disponente ut purificatio in templo locum habere posset, eodemque interim providente nequid adversus pueri incolumitatem perficeretur. Et sane quando Maria et Ioseph illud scire debuerunt, necessaria fuit Angeli revelatio.

Obiic. II. Ex Luc. II, 39: « *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth.* » Ergo peracta purificatione non fugerunt in Aegyptum, ut in hac explicatione supponitur.

Resp. Nego consequentiam. Et hic possunt fieri diversae hypotheses.

1° Verba Lucae « *et ut perfecerunt* » possent accipi lato sensu, ita ut non referantur ad tempus proxime sequutum purificationem, sed ad tempus quo Christus rediit ex Aegypto: ita ut inter purificationem, et adventum Nazareth intercesserit fuga in Aegyptum et reditus exinde, de quibus tamen factis Lucas nihil dixerit (1). Praesertim cum, uti notat Hug (Introd. p. II, p. 239, ed. II), soleat Lucas suas maioris momenti narrationes, et periodos suae historiae generalibus hisce clausulis concludere, quae proprie ad tempus determinatum non referuntur. Ex. gr. I, 80 post historiam nativitatis Iohannis Baptistae concludit: « *Puer autem crescebat et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.* » Cum certe neque statim natus creverit, nec statim in desertum abierit: item II, 20 de pastoribus; et v. 52 post inventionem pueri in templo: *Jesus autem proficiebat* etc.: item IV, 44. *Et erat praedicans in Synagogis Galilaeae* etc.

2° Sed cum haec responsio nonnihil violenta videatur dici posset fortasse Angelum apparuisse statim post purificationem et fugam iussisse, Iosephum autem fugisse quidem eadem nocte, ut dicit textus Matthaei, sed in ipsa fuga paulisper divertisse in Nazareth, ut videbatur necessarium ad aliquid domi comparandum pro longa et incerta peregrinatione, vel de rebus suis utcumque disponendum. Neque periculum ita imminens erat ut id non permitteret; nondam enim Herodes iusserat occidi infantes, ut supra animadvertimus, et Angelus non de praesenti, sed de futuro periculo loquutus fuerat (v. 13). Verum etiam haec responsio inverosimilis videtur; siquidem Nazareth fugientibus ex Hierosolyma vel Bethlehem in Aegyptum in directione prorsus contraria iacebat, scilicet ad septentrionem, et quidem satis longo itinere distabat.

3° Itaque potius concedere possumus sacram familiam post purificationem revera Nazareth venisse, sed brevissime ibi fuisse

(1) Ita posse explicari similes voces *ecce*, in *illo tempore*, in *diebus illis* etc. multis exemplis confirmatur: clarissimum est illud quod exhibet Matthaeus, qui in fine c. II narrat reditum Christi pueri ex Aegypto, mox vero incipit c. III: « *In diebus illis* venit Iohannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae. » Quamvis inter reditum ex Aegypto et praedicationem Iohannis viginti et amplius anni intercesserint.

commoratos, postea vero ibidem Angelum apparuisse Ioseph, et exinde fugisse.

Urgebis 1° Adversus hanc alteram responsionem, Lucam sermonem habere de mansione stabili in Nazareth, non autem de adventu momentaneo, et in fuga. Ait enim: « *reversi sunt.... Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat cum illo* » (II, 39, 40).

Resp. Nihil nos cogit coniungere verba v. 40 *Puer autem crescebat* etc. cum verbis versiculi praecedentis de adventu in Nazareth, veluti si ad idem tempus sint referenda. Posset igitur separari v. 39, a 40, ita ut v. 39 sit clausula illius periodi historiae quae narrata est in prima parte cap. II de Christo infante, et v. 40 sit exordium alterius periodi de Christo adolescente, ad quam pertinet factum disputationis cum doctoribus etc. quod statim subiicitur in altera parte eiusdem capituli.

Instabis 2° Adventum istum Nazareth ante fugam admitti non posse eo quod Matth. II, 23 dicat de puero ab Aegypto redeunte: « *Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: quoniam Nazaraeus vocabitur.* » Igitur tum primum Christus Nazareth venit, quando rediit ex Aegypto, et tum primum impletum est illud vaticinium: *quoniam Nazaraeus vocabitur.*

Resp. In hac hypothesi admittendus est duplex Christi adventus Nazareth, alter ante fugam, alter post reditum; neque Matthaeus primum excludit, sed solum tacet. Quod autem dicat vaticinium illud impletum fuisse in secundo isto adventu, id plane intelligitur, nam quis nomen suae patriae acquirit per stabile domicilium, non autem per transitoriam moram in loco ubi natus non est. Porro primus ille adventus, uti diximus, esse debuit omnino transitorius, et cum mora brevissima: ut omittam nunc vaticinium illud potius mystice accipiendum esse quam literaliter, ut Hieronymus observat commentans hunc locum Matthaei.

Obiic. III. Iuxta hypothesim, de qua loquimur, tempus adventus magorum male assignatur circa diem 13 a nativitate. Videtur enim impossibile eos potuisse tam brevi temporis spatio tam longum, et arduum iter conficere.

Resp. Tempus abunde suffecisse Magis ad iter conficiendum. Et primo quidem non desunt qui supponunt stellam Magis apparuisse,

eosque ab Oriente profectos antequam Christus nasceretur. Quod quidem verosimile non videtur ex eo quod Magi dixerunt *ubi est qui natus est?* (quare stella Christum ostendebat iam *natum*); et ex communi traditione quae tenet stellam eadem nativitate nocte apparuisse. Verum si haec opinio admittatur, quae veteribus multis placuit, inter ceteros Iohanni Chrysostomo, difficultas omnino evanescet, ut patet. Sed etiam hoc omisso, secundo nihil certi constat de regione ex qua Magi venerint. Scriptura ait eos *ab Oriente venisse* (Matth. II, 1), sed Oriens longe lateque patet; sunt regiones a Hierosolyma immenso terrarum spatio distantes, sunt aliae Palaestinae conterminae, ex quarum finibus usque Bethlehem non ita ingens spatium interiacet. Immo nulla est necessitas Magos vocandi ab ultimo Oriente; sed possumus commode supponere eos ex viciniore aliqua regione venisse, puta ex Arabia Felice, ut Iustinus, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, aliique contendunt (1) qua in hypothesi iter ad summum 50 leucarum tantum conficere debuissent. Porro hoc iter, vel etiam multo longius, paucorum dierum spatio ab iis confici potuisse patebit cuique consideranti media quae iis praesto erant, imprimis dromedarios, quorum ope 50 aut 60 milliariorum iter singulis diebus nullo negotio percurrere poterunt (2), quo fieret ut quindecim dierum spatio 1000 circiter milliaria conficere potuissent itineris. Quare supponentes eos ex gr. decimo

(1) Haec hypothesis caeteris probabilior videtur cum ea omnia quae de Magis narrat Matthaeus in Arabes apprime quadrent. Quamvis autem nonnullae Arabiae partes, quae latissima est, ad meridiem Iudaeae iaceant, tamen Arabia Felix proprie ad Orientem est, hinc in S. Scriptura Arabia Orientalis dicitur (Cf. Gen. XX, 3; XXV, 6; Iud. XVIII; Iob. I, 8; 1 Reg. IV; Is. II, 14 etc.) et Tacitus Iudaeam describens L. V. Hist. ait: « *Terra est fines, qua ad Orientem vergunt Arabia terminantur.* »

(2) De Camelis V. Bochartum in *Hierozoico*. Camelorum duplex est genus: alii grandiores *גמלים* *camelii*, alii minoris molis *קמריים* *saltatorios*, Gr. *dromedarii*, ob incredibilem celeritatem et perseverantiam: Shaw (Voyages to. I, p. 310) scribit: « *Cet animal (le dromadaire) est particulièrement remarquable par sa vitesse; les Arabes disent qu'il peut faire autant de chemin dans un jour qu'un de leurs chevaux en huit ou dix. Le Sheikh qui nous conduisit au Mont Sinai était monté sur un de ces chameaux, et prenait souvent plaisir à nous divertir par la grande diligence de sa monture; il quittait notre caravane pour aller en reconnaître une autre, que nous pouvions à peine apercevoir, tant elle était éloignée, et revenait à nous en moins d'un quart d'heure.* »

post Christi nativitatem die profectos esse, ante diem trigesimum pervenissent. Imo etiamsi poneremus eos die XIII post nativitatem Christum adorasse, quo die Epiphaniam Ecclesia celebrat, adhuc posset eorum iter explicari.

HYPOTHESIS TERTIA

Purificatio ante adventum Magorum die XL. — deinde adventus Magorum post diem XL. — postea vero fuga in Aegyptum.

In hac hypothesis apprimè conciliantur Lucas et Matthaëus quia tota narratio Lucae (II, 1–39) praecedit totam narrationem Matthaëi (II, 1–23), et hic incipit ubi Lucas desinit, nempe ab adventu in urbem Nazareth post purificationem; tunc enim venissent Magi (Matth. II, 1), et iis abeuntibus apparuisset Angelus Ioseph (v. 13), et fugissent in Aegyptum (v. 14) etc.

Obiici potest I. in hac sententia Magos Puerum adorasse in Nazareth non vero in Bethlehem. Atqui hoc contrarium est narrationi Matthaëi (v. 8, 9), et communi fidelium persuasioni qui semper soliti fuerunt repraesentare Magorum adorationem in antro Bethlehem, ubi antea pastores divinum infantem invenerant; et Ecclesia celebrat Epiphaniam die 6 Ianuarii seu ante Purificationem, quae celebratur die 2 Februarii.

Respondent huius sententiae fautores ad 1^{am}. Matthaëus in v. 8, 9 proprie non dicit ubinam Magi adoraverint divinum Infantem. In v. 8 utique dicit Herodem *misisse Magos in Bethlehem*, sed Magi non Herodis iussa sed stellam duces sequebantur (v. 9). Quid igitur si stella eos Nazareth non Bethlehem duxerit? stella dicitur stetit *supra ubi erat Puer*. Sed ubi erat puer? hoc Evangelista non aperit. — Nihil igitur est in narratione Matthaëi quod excludat hanc hypothesis de Iesu in Nazareth invento a Magis. Quia immo aliquid in favorem huius hypothesis invenitur in textu, ubi dicitur (Matth. II, 11) Magos *intrasse domum*, ibique Puerum cum matre invenisse; quae verba potius designare videntur B. M. V. domum Nazarethicam quam speluncam Bethlehemiticam. Accedit etiam verosimile non videri B. M. V. voluisse diu in Bethlehem commorari extra domum, et sine illis mediis quae ibidem habuisset; neque sanitatis ratio illam detinebat, cum mirabilis eius partus nulla inconmoda aut pericula ipsi attulisset. Denique addi potest quod si Magi

ante Purificationem venissent, Maria et Ioseph paulo ditiores eorum muneribus effecti non obtulissent tantum *turtures*, vel *pullos columbarum*, quae lex loco oblationis agni permittebat tantum ratione pauperiatis.

Obiici. II. Matth. II, v. ult. ubi dicitur Christum post reditum ex Aegypto Nazareth venisse, et tunc impletum fuisse vaticinium *quoniam Nazaraeus vocabitur*.

Resp. iam vidimus Matthaëum dum haec narrat non excludere alium praecedentem Christi adventum Nazareth, ac brevem ibidem commorationem, sed de eo mentionem non facere cum occasione non habuerit, unde etiam fit ut alio modo loquatur ac Lucas; hic enim v. 39 ait *in civitatem suam Nazareth*: Matthaëus autem *in civitatem quae vocatur Nazareth* quia scilicet tunc primum illam nominat. Haec satis de historia infantiae Christi Domini.

Plura alia eiusdem generis ab adversariis opponuntur; ex eo scilicet quod nostri auctores sibi invicem contradicere videantur, quod difficultatum genus graeca voce *antilogiae* biblicae appellari solent. Ex iis praeter superius expositam celebrioris sunt illae quae respiciunt Christi *Genealogiam* apud Matthaëum Cap. I, et Lucam Cap. III, horam crucifixionis apud quatuor Evangelistas, et circumstantias resurrectionis Domini a diversis Evangelistis narratas. Verum propositum nobis est de iis aliquid dicere in Hermeneutica Biblica ubi de regulis interpretationis agemus. Nunc igitur ad alia properamus.

Cum vero adversarii contra quos agimus praecipue supernaturalium rerum narrationes in nostris libris impugnent praestabit nonnulla de his speciatim disserere. Ac primo quidem de Daemone obsessionibus frequenter in Novo Testamento commemoratis, quaeque thaumaturgae Christi et Apostolorum virtutis obiectum fuisse dicuntur; deinde vero de aliis prodigiis et de ratione, qua aetate nostra a Strauss praesertim et Renan impugnata sunt. Itaque sit

THESIS XVIII.

*Possessiones diabolicæ quæ in pluribus N. T. locis referuntur
ut veræ ac reales habendæ sunt.*

Legentibus N. T. libros præsertim Evangelia, nihil frequentius occurrit, quam mentio de hominibus a diabolo obsessis vel possessis, quos energumenos appellare solemus, quique a Christo Domino vel ab eius discipulis, imperio super Daemones exercito passim liberati dicuntur. Præcipua loca in quibus de his sermo fit sunt sequentia: apud Matthaum IV, 24, VIII, 16, IX, 32 et seqq. XII, 24 et seqq.; apud Marcum V, 2 et seq. IX, 16-26, XII, 24 et seqq., XVI, 18, ubi sermo est de charismate Apostolis concessio *eiciendi daemonia*; apud Lucam IV, 34 et seq. IX, 42; X, 17 et seq. XI, 20; etiam post Christi mortem similia facta occurrunt in actis Apostolorum X, 38, XVI, 16 et seq. et alibi, quibus nonnulli addunt 1 Cor. V, 5, ubi incestuosus Corinthius *traditur Satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat.*

Itaque increduli tum antiqui tum recentiores hæc omnia reiiciunt et irrident tamquam inanes Iudæorum superstitiones, id autem variis rationibus persuadere conantur, quas hic primo loco proferemus.

I. Adversariorum obiectiones.

Citata facta variis modis ab incredulis impugnantur. — Alii enim aperte insimulant falsitatis vel mendacii sacros Scriptores, tamquam si communibus Hebræorum præiudiciis indulgentes morbos mere naturales diabolicæ possessioni falso adscriperint; ita Semlerus in speciali dissertatione: *De Daemoniacis quorum in Evangelis fit mentio*: Wegscheider in opere cui titulus: *Institutio Theologiæ Christianæ dogmaticæ*, §. 106, Strauss aliique plures. Alii vero characterem veracitatis ss. librorum specie tenus conservant, simulque supernaturalem factorum illorum characterem negant, affirmantes Christum et Apostolos non quidem mentiendi studio, sed ex prudentia et charitate infelicitium illorum hominum turbatae phantasiæ sese accommodasse, fingentes se credere eos a Diabolo

obsessos esse, cum tamen naturali tantum morbo laborarent: vel etiam Evangelistas in aegrotorum sanationibus narrandis usitatas apud Hebræos loquendi formulas adhibuisse quibus illi a Daemone obsessi dicebantur, quin de obiectiva rei veritate iudicium ferrent; ita Rosenmüller in scholiis ad Matth. VIII, 28 seqq., et Marc. IX, 16 seqq. aliique, quibus accessit Iahn in editione Germanica suæ *Archeologiæ biblicæ* §. 194 seqq., quem tamen corrigit et refellit Ackermann in latina editione eiusdem archeologiæ (§. 196, 197). Horum itaque argumenta revocari possunt ad sequentia.

Obiiciunt 1° Obsessio diabolica proprie dicta humanæ naturæ repugnat. Ita enim in uno eodemque supposito duæ independentes vires ponerentur, et duo diversa principia operationum.

Obiiciunt 2° Idem repugnat divinæ Sapientiæ et Providentiæ. Sic enim induceretur ens rationale, et Deo inimicum operans contra leges ab eo stabilitas, et ordinem naturalem perturbans.

Obiiciunt 3° Admissa etiam diabolicæ obsessionis *possibilitate* non ideo essent ut veræ habendæ omnes illæ, quæ in N. T. narrantur. Sane in aliarum gentium historia nihil tale occurrit. Quomodo ergo admitti potest apud solos Iudæos hæc locum habuisse tam frequenter, et quidem præcise Christi et Apostolorum ætate? Nec quidquam iuvat discrimen quod intercedebat inter populum Hebræum et ceteras gentes. Hoc enim potius vim difficultatis auget: quis enim sibi persuaserit Diabolum maiorem habuisse potestatem in populum Dei electum, et in cultores veræ religionis, quam in paganos cultui idolorum addictos?

Obiiciunt 4° Quasdam circumstantias in præfatis narrationibus occurrere quæ manifeste absurdæ vel ridiculæ sunt. Ut ex. gr. in historia daemoniaci Geraseni (Marc. V) qui dicitur in se habuisse integram legionem daemonum (v. 9), et hi a Christo impetrasse dicuntur ut possent in gregem porcorum ingredi, qui statim in mare se proiecerunt, et suffocati sunt (v. 11-13). Quis hæc non irrideat? Sed præterea undenam magnus ille *porcorum grex* apud Gerasenos (v. 11) cum porcorum usus Hebræis prohibitus esset? et quomodo Christus volentati daemonum indulgisset, quod tantum damnus dominis afferebat?

Obiiciunt 5° Miracula admittenda non sunt, ubi res naturaliter explicari possunt. — Iam vero casus omnes daemoniacorum in N. T. narrati facile possunt per morbos naturales explicari et non nisi ex

Judaica superstitione daemone tribuuntur. Et primo quidem multa adscribi possunt morbo *insaniae*, vel furoris, ut ex. gr. praedictus casus daemoniaci Geraseni Marc. V, 2 et seqq. « qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam saepe compedibus et catenis vinctus dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare; et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus. »

Secundo plures casus adscribi possunt morbo *hypocondriaco*, quo quis absurdissima quaeque sibi persuadet ob turbatam imaginandi facultatem. Isti autem sibi persuaserant se daemonium in corpore habere, vel se in daemones esse conversos. Denique quaedam etiam explicari possunt per morbum *epilepticum*, qui similes effectus producere solet iis qui in praefatis daemoniacis describuntur, ut insolitas vires, membrorum violentam agitationem, allisionem in terram, spumam ex ore diffluentem et alia huiusmodi, ut ex. gr. videre est in daemoniaco ad Christum adducto Mar. IX, quem statim *spiritus conturbavit, et elisus in terram volutabatur spumans* (v. 19).

Obiiciunt 6° Ea omnia quae de huiusmodi factis leguntur, salva etiam veracitate scriptorum, possent ita explicari ac si ex communi cogitandi et loquendi ratione Hebraeorum dicta sint. Hi enim solebant calamitates et graviore morbos omnes Daemone tribuere, ita ut *Daemonium habere* idem significaret ac infortunio vel morbo subiectum esse, et *Daemonium eicere* idem ac a morbo liberare.

Sane ipsi Evangelistae daemoniacos recensent inter aegrotos Matth. IV, 23, 24; Mar. I, 34; Luc. IV, 40, 41 etc. imo Act. X, 38 Petrus de aegrotis a Christo sanatis summam loquens ait illum pertransisse benefaciendo et sanando *omnes oppressos a diabolo*. Hinc etiam daemoniaci qui liberati sunt dicuntur *sanati, vel curati* Luc. VII, 24; VIII, 2 et alibi, quod significat eos morbo aliquo correptos fuisse.

Obiiciunt 7° Si vero omnino explicandae sint laudatae loquendi formulae de vera Daemonis possessione nihil impedit quominus dicamus Christum et Apostolos ut naturalem fatuitatem, vel hypocondriacae morbum in illis hominibus curarent sese eorum pravae imaginandi rationi accommodasse fingentes se eorum deliramentis credere, quibus sibi persuaserant se daemonium habere; hanc enim

agendi rationem in similibus casibus saepe expedire medici fatentur, et experientia confirmat.

II. Argumenta pro thesi et contrariorum solutio.

Haec tamen non obstant quominus certissima sint exempla diabolicae possessionis in Novo Testamento relata. Imprimis vero hic supponimus angelorum existentiam, lapsum, ac proinde distinctionem inter bonos ac malos angelos. Si haec adversarii negant eos ad dogmaticos Theologos remittimus. Admissa autem daemonum existentia, dicimus in praefatis N. T. locis aperte doceri quosdam homines ab eis misere obsessos ac vexatos fuisse: ideoque cum sacrorum Scriptorum veracitas demonstrata fuerit istas obsessiones veras omnino esse. Et sane ad narrationum sensum quod attinet primo quidem omne effugium praeccludit ipsa earum simplicitas, quae ab omni insolita ac audaciori loquendi forma seu figura alienissima est. Praeterea tales circumstantiae referuntur, quae figuratam explicationem prorsus excludunt, siquidem Christus cum maligno spiritu loquens inducitur, illum increpat, eius nomen postulat, isque vicissim respondet, deprecatur, irascitur, ut ex. gr. legitur de daemoniaco Geraseno Marc. V, et de alio in Synagoga a Christo liberato Luc. IV, 33, 36, et IV, 41, ubi ad manuum Iesu impositionem: « *Exibant daemonia a multis clamantia: Quia tu es Filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum:* » et alibi passim. Tertio Apostolis Marc. XVI, 17 virtus eiciendi daemonia conceditur, et quidem ita ut distinguatur a virtute curandi morbos naturales: « In nomine meo, inquit, *daemonia eicient*, linguis loquantur novis, *super aegros manus imponent*, et bene habebunt. » Denique idem Christus et Apostoli electionem daemonum tamquam argumentum ad veram religionem demonstrandam saepe adhibent ut ex. gr. Matth. XII, 22-30, Luc. XI, 20, Act. X, 38 etc. Quare certum omnino est sacros Scriptores non figurate tantum loquutos esse, sed vera exempla diabolicae possessionis narrare voluisse, ac proinde vel haec ut vera admittenda sunt, vel mendacii iidem scriptores imo Christus ipse insimulandus erit, quod prorsus impium est atque absurdum.

Accedit quod omnes Patres, etiam antiquissimi loca illa S. Scripturae, ubi de daemoniacis est sermo in sensu obvio ac literaliter ac-